

NONNENKLOSTER ORD. S. BENEDICTI ZUM HEIL. KREUZ.

No. 388. 1220. 28. Apr.

Markgraf Dietrich der Bedrängte begründet und dotirt das Nonnenkloster zum heil. Kreuz.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Theodericus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio universis hanc litteram inspecturis salutem in domino nostro Jhesu Cristo, qui dat salutem regibus et principibus. Mundi salvator deus salubriter humano generi prospexit, quod miserrimae conditioni subiectum est iras redemptoris sui exasperando incessanter delinquens, quod per largitionem elemosinarum et sanctarum ecclesiarum aedificationem tam criminalium quam venialium peccatorum delicta potenter absterguntur testante eo, qui elemosinam aquae et peccatum igni non immerito comparavit. Quapropter notum facimus universis Cristi fidelibus, quod claustrum sanctimonialium in Misne ad honorem dei et sanctissimae genitricis suae Mariae et sanctae Crucis construximus, quod hoc modo dotavimus. Contulimus enim iam dictae ecclesiae consensu nostrorum heredum et coram comprovincialibus nostris haec: Lvppe^{a)} XXXV^{que} mansos et dimidium cum ecclesia et molendino et duabus silvis, et haec ab Ortolfo milite nostro urbano in Dewin^{b)} bonae memoriae comparavimus, qui cum suis heredibus et coheredibus eisdem bonis renunciavit et sic plenum ius in iisdem bonis acquisivimus, quae postmodum ut diximus iam dictae ecclesiae sine omni contradictione contulimus. Insuper in villa S^{ph}meruel^{c)} emimus ab Henrico advocato de Schvditz^{d)} XXXII mansos, quos cum suis heredibus et coheredibus multis praesentibus sine omni contradictione in manibus nostris resignavit, et sic eosdem ab omni impetitione absolutos liberaliter iam dictae ecclesiae in dotem porreximus. Ecclesiam sancti Martini in monte Misne et ecclesiam sancti Nicolai cum VII mansis et silva prope posita, villam B^vcwen^{e)} cum XVI mansis et allodium cum III^{or} mansis et silva prope posita, Dvbrawitz^{f)} VIII^o mansos cum allodio et molendino et silva prope posita, Vden^{g)} VIII^o mansos et dimidium cum allodio et prato et silva prope posita, Lvpsitz^{h)} III^{or} mansos et pratum cum silva prope posita, N^wwendorfⁱ⁾ III^{or} mansos et tria prata, apud castrum Misne VI mansos cum vinea, et salictum quod in vulgari wert appellatur cum montibus circumiacentibus, praeterea allodium Pezle^{k)}

a) Luppy, Eph. Oschatz. b) Döben, Eph. Grimma. c) Sommerfeld, Eph. Leipzig. d) Schkeuditz zwischen Leipzig und Halle. e) Bockwen, Par. St. Afra. f) Dobritz ders. Parochie. g) Wauden, Par. Leuben. h) Löbschütz, Par. St. Afra. i) Naundorf, Par. Zehren. k) Piestel, Par. Arzberg bei Torgau.